



Christianos, sed tamen & talis, quam in societate humana vix subterfugere possunt, qui variis divexantur acerbitatibus.

An ad calumnias extra iudicium respondere liceat?

§. XIV. *Quaestio sexta. An sit contra praeceptum de ferendis injuriis, si quis ad calumnias extra iudicium respondeat?* Quanto l'accuse giovano alle Republiche, tanto le calumnie nucono, eleganter inquit *Machiavellus Discors. sopra la prima Deca di T. Livio lib. I. cap. 8.* Uti accusatio libera prodest, ita calumnia nocet Reipublicæ. Hinc calumniæ omnibus bonis tam detestabiles sunt, ut ad eas tollendas nullo labori parcendum esse dicant. Tolluntur autem calumniæ commodissime & evitantur, cum libertas datur, unumquemque calumniatorem accusandi, flagitandique à iudice, ut calumniatorem cogat fieri accusatorem, quod iterum monet *Machiavellus l. c. p. 23. perche si debbe fargli diventare accusatori, è quando l'accusa si riscontri vera; ó premiarli, ò non punirli. Ma quando la non si riscontri vera, punirli, come fu punito Manlio. Conf. lib. 2. discors. c. 28. p. 176. 177.* Et si quidem publicè probare queant, id verum esse, quod clanculum impingebant, ut vel præmio, vel nullo damno afficiantur. Si probare nequeant, puniantur, ut *Manlius*, qui calumniator inventus in vincula duci iustus est. Quod si verò hoc modo contra calumniatorem agere non detur; aut necesse sit, querimoniam in aliud tempus differri, licebit interea iudicio rectè sententiam ad calumnias respondere, easque repellere, ne neglectæ & non contritæ robur accipiant. vid. *Dannhauser. Colleg. Decal. Disp. 18. quest. 2. pag. 923.* Huc pertinet, quod *Proverb. XXVI, 5.* legitur: responde stulto, ne videatur sapiens. Et quod *Christus* maledicis *Judæis* respondit, cum dixissent: *ipsum habere demonium.* Vos, inquit, *ex Patre Diabolo estis, non ego.* Joh. VIII, 44. Adde, quod nihil delinquat, qui eo animo aliquid facit, non ut alteri, sed ne alter sibi noceat. *arg. l. 2. §. 9. ff. de aqu. & aqu. plu. arcend. & arg. l. 25. ff. de Procurat.*

FINIS.

Coll. diss. A. 59, misc. 20